

mendamus, utque locus ille, qui sancte nostræ sedi commissus est, sese pro amore apostolorum, mundi videlicet judicium atque paterna dilectione bene gaudeat elegisse.

## XV.

JOANNIS X EPISTOLA AD WENNI ARCHIEPISCOPUM  
RAMBURGENSEM.

(Anno 914-928.)

*Illi pallium mittit et privilegia Hamburgensia confirmat.*

[Apud Lappenberg, *Hamb. Urk.* I, 39.]

† JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri WENNI, venerabili archiepiscopo Hammenburgensis Ecclesiæ, tibi tuisque successoribus in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollutibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucrè potissimum præmium

apud Deum proculdubio promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint per nos statum perducta. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus archiepiscopatum Hamma- burgensem totum in integrum tibi tuisque successoribus confirmaremus, sicut a beato Gregorio, Nicolao et aliis prædecessoribus nostris decretum est, inclinati precibus tuis, pallium tibi ex more transmittimus, et quæcumque ab eis Ecclesiæ tuæ et antecessoribus tuis data sunt et privilegiis confirmata, nos apostolica auctoritate tibi concedimus et nostro privilegio confirmamus, scilicet omnia quæ generaliter atque specialiter ad eundem præfatum archiepiscopatum pertinent, quæque tui antecessores... Jesu Christo.

Data iv Kalendas Novembris per manus Leonis, sanctæ Romanæ sedis cancellarii. Anno domini Joannis papæ primo, indictione 9.

ANNO DOMINI DCCCXXIX.

## LEO PAPA VI.

### NOTITIA HISTORICA.

*Leo Christophori primicerii filius, hujus nominis sextus factus est pontifex circa finem anni 928 tempore Constantini imperatoris. Sequenti anno in carcerem detrusus, post sex menses et dies 3 (al. 15) mortuus est, ut testantur versus Frodoardi de Pontif. Rom., apud Mabill. Actorum sæc. III, p. u, p. 607.*

Pro quo (Joanne) celsa Petri sextus Leo regmina sumens  
Mensibus hæc septem servat quinisque diebus  
Prædecessorumque petit consortia vatum.

## LEONIS PAPÆ VI

### EPISTOLA

## AD EPISCOPOS DALMATIÆ.

(Anno 928, 29.)

*Forminum Jaderensem et Gregorium Nonensem cæterosque Dalmatiæ episcopos hortatur ut Joanni archiepiscopo Spalatino, pallium adepto, pareant. Jubet finibus suis quemque episcopum, nominatimque Absorensem, Arbensem, Ragusanum, contentum esse, Gregoriumque Croatorum episcopum in administranda ecclesia Scardonitana acquiescere.*

(Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag 1421.)

LEO episcopus, servus servorum Dei, FORMINO sanctæ Aderensis Ecclesiæ episcopo, et GREGORIO sanctæ Nonensis Ecclesiæ episcopo, omnibusque episcopis per Dalmatiam commorantibus, etc.

Quia gratiosa Dei omnipotentis misericordia vos in

episcopali infula constituit, dignum est ut vestro metropolitanæ sanctæ Spalatensis Ecclesiæ archiepiscopo summam reverentiam exhibere delectemini quatenus per ordinem et per normam justitiæ gradientes, securi et intrepidi valeatis ad divinam co-